



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. In quem fine[m] praecepta humana addita sunt praeceptis Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

1. *In quem finem praecepta humana addita sint praeceptis Dei.*
2. *Quando sint ea praecepta periculosa conscientiae, & frustra fiant.*
3. *Quando laudabilia sint & meritoria.*



Ntè omnia considerandus est finis, in quem patres & Ecclesia dederunt praecepta sua populo: certum est quòd fides in Christum iustificat, & summum opus bonum est, Ioan. 6. Hoc est opus Dei, &c. deindè voluntas Dei certò cognoscitur vt sibi placeant opera praeceptorum suorum, ita quòd quicquid ad salutem attinet, in his duobus continetur, nempe fide & obediètia legis Dei. Hoc cum maximè Ecclesia & omnes sancti patres sciuerunt, idèd finis exquirendus est, in quem ipsi sua praecepta humana, Cæremonias, ritus atque solennia addiderunt. Pro quo notandum, quòd proprius finis praeceptorum humanorum, & intentio patrum fuit, vt omnia fierent honestè & secundùm ordinem in Ecclesia, & hoc docet Apostolus 1. Cor. 14. Et Propheta Psalm. 146. Deum nostrum decet iocunda decoraque laudatio. Hi sunt potissimi fines, quare patres officiosi fuerunt in dandis praeceptis & constitutionibus ac ordinandis cæremonijs, nulla hìc mentio de iustificatione &c. Est enim traditio humana disciplina coërens carnem in rudibus. Et fiunt primò honestè & cum reuerentia & maiestate ad persoluendum diuinum cultum in Ecclesia, sicut sunt imagines, vexilla, lumina, organa, vestimenta, thurificationes, cantus &c. deindè ordine cum ferijs seruandis, diebus

ieiuniorum, confessionis, communionis delectu-
 borum: nam cum ipse Deus ieiunium præcepit,
 quo habiliores efficeremur ad seruanda Dei præce-
 pta, Matth. 6 Ecclesia tempus & diem addidit. præce-
 pit item confiteri peccata: Ecclesia dies addit. lauda-
 re Deum, audire verbum Dei: Ecclesia dies præscri-
 bit. viuere continenter, non mœchari, esse subditum
 Deo & Præfato: Ecclesia addidit vota & vitam mo-
 nasticam & id genus alia, vt omnia decenter & ordi-
 ne fierent, &c. Non opinati sunt patres, has traditio-
 nes suas fore potissimum & præcipuum Dei cultum
 hic enim in fide, timore, spe & dilectione consistit,
 illis motibus & virtutibus internis, in fructibus Spi-
 ritus: sed volebant suas traditiones esse seruos tan-
 tum horum motuum & præcipui cultus Diuini, at-
 que exercitationem fidei, timoris, atque dilectionis
 Dei: nemo enim traditionibus tribuit iustificatio-
 nem & salutem, nisi qui ignorat Euangelium Chri-
 sti. Propter hos ergo fines, præcepta humana addita
 sunt diuinis.

2. Traditiones & præcepta humana tunc sunt per-
 culosa, & venenum conscientie siue animæ, quando
 illis tribuitur quod fidei in Christum debetur, aut ipse
 Christo saluatori: hoc autem tunc fit, quando illis tri-
 buitur remissio peccatorum & vita æterna: & sic re-
 iicit eas Propheta Esa. 29. Et Christus Matt. 23. in-
 quiens: Gratis me colunt doctrinis & præceptis hu-
 manum, quando scilicet in illum finem docentur, quod
 hæc per se nos iustificent coram Deo, & sint potissimum
 cultus qui Deo placeat, reiecta fide, timore, dilectio-
 ne: & quoniam sic furantur Christo officium suum
 ideo sunt periculosa. Insuper quando his ligatur con-
 scientia, scilicet si abstinero à comedenda carne
 die Parasceues aut sexta feria, tunc puto me per hæc
 abtinentiam meruisse cælum: Si verò comedero, gra-
 uiter peccasse & meruisse infernum, quando sic ma-
 iorem